



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Patrocinium Defvntorvm

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

Caput Primum. Esse revera Purgatorium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

PATROCINIUM
DEFVNCTORVM

A R. P.

IACOBO HAVTINO
SOCIETATIS JESU
TRIBVS LIBRIS PROPOSITVM.

LIBER PRIMVS.
CAPUT PRIMUM.

Esse revera Purgatorium.

PROOEMIUM.

1.
*Tres hostes
Purgatorii
Daemon,
Mundus,
& Caro.*



VERITATEM flammaram lustralium iidem oppugnant hostes, qui universum genus humanum, Dæmon, Mundus, & Caro. Primus ille purgandarum animarum odio, ne in atrocissimis ac maximè diuturnis cruciatibus, opem ac solatium accipiant ullum: Alter avaritiâ, ut anam nanciscatur, vel evertendi cœnobîa, quæ in subsidium piorum manium à Majoribus condita sunt, vel collegia Canonicorum expilandi, sacrorumque anniversariorum fructus, ad se avertendi, qui in idem auxilium ultimis piorum tabulis, ac legatis fuere assignati: Caro denique libenter Purgatorium mundo exterminet, imo & tartarum, ne eorum metus, perpetuus utique tortor, ipsius delicias interturbet.

2.
*His hæresis
militat.*

Ceterum tribus illis hostibus una maximè hæresis militat: Hydra capitum fecunda, cui diabolus incubans, instar animæ est, œstrôque suo percitam, ad-

versus divina oracula, adversus Sanctorum Patrum pronunciata, adversus rationem clarissimam raptat, eò insolentiùs, exultantiùsque, quò nequiùs hæc omnia à se stare mentitur. Itaque consilium mihi est, mendacium illud, oppositâ veritatis luce sub oculos ponere: non quidem ut errores suos ipsa noverit (quæ perfidiâ maximè, ignorantia minimè laborat: atque ut hæc laboraret eruditissimis Bellarmini, Suarii, Valentia, aliorumque plurimorum hujus generis scriptis convicta pernosse potuit.) Verum ut Catholici perspectâ, & quasi palpatâ ignium purgantium veritate, ad animarum, quæ his peruruntur, solatium, adjutoriùmque faciliùs fortiùsque ferantur. Porro paucis hæc agere mihi constitutum est, sive, quòd veritas brevi se prodet, spectare & agnoscere volentibus, sive, ne toties actum agens, fastidium creem lectoribus. Primum itaque ex divinis oraculis, tum ex Sanctorum Patrum sententiis, postremò rationibus eam demonstro.

A

ARTICU-

ARTICULUS I.

*E sacris paginis asseritur
Purgatorium.*

3.
E libro 2.
Machab.

CLARISSIMA lux nobis oboritur ex lib. 2. Machabæorum cap. 12. ubi fortissimus Judæorum Dux Judas, idemque religionis Antistes, omnium voto, ac nomine Jerosolymam mittit duodecim millia dragmarum argenti, in sacrificia pro suis in prælio desideratis expendenda: Quæ summa apud Budæum, Agricolam, aliósque, vel ducentos quinquaginta aureos, vel ducentos sexaginta cum cruciferis ducentis sexaginta duobus conficit. Dragma enim Italorum Julio, Hispanorum Regali, nostratum quinque assibus æquivaleret. Porro Agiographus Scriptor hoc epiphonema ex eo Judæ factò colligit: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

4.
Hoc syllogismo.

Quo ex loco sponte existit hic efficax syllogismus: Quod in Ecclesia vetere à Summo Pontifice cum bonorum approbatione factum, ab illa ipsa Ecclesia publicè receptum, atque à Scriptore Agiographo, proindeque à Spiritu Sancto collaudatum est, id nequaquam repudiandum, sed religiosum, sed sanctum, & si futurorum umbram, seu Christi venturi figuram nullam continet, imitatione dignum est; atqui hujusmodi est fusa pro vitâ functis oratio, uti jam demonstratum est (neque enim Christi venturi figuram ullam præfert) ergo ea religiosa, & imitatione digna est. Ex qua ratiocinatione, & esse, & fuisse olim Purgatorium, in quo pii manes pro delictis castigantur, clarissimè convincitur, quoniam nec beatis, nec damnatis hæc oratio prodesse aut convenire potest, ut perspectum est.

5.
Teste Lutheri & alius ideo librum hunc damnantibus.

Itaque Lutherus ipse in sua disputatione Lipsica tract. de Purgatorio, tum ex Matthæi c. 12. ubi Christus dictum Spiritui Sancto contumeliosum, neque in hoc, neque in futuro sæculo remittendum asserit, tum ex hoc Machabæorum loco, Purgatorium agnoscit, quamvis libro de Missa privata secum ipse pugnet. Cæteri verò hæretici hujus sacri testimonii claritate præstrikti, cum non habeant quò se recipiant, scilicet totam Machabæorum historiam è sacris ac Canonicis libris expungunt.

6.
Vt & alios Canonicos.

Ita olim Manichæi Evangelium Matthæi, & Acta Apostolorum; Ebionitæ omnes Pauli Epistolas, quod erroribus suis apertè refragarentur, respuebant. Ita

nunc quoque Lutheri fœda soboles Tobiam, Ecclesiasticum, Baruc, Judith, Sapientiam, aliâque repudiant; nimirum, quod iis oraculis disertissimè coarguantur, quandoquidem de Angelorum patrocinio, ut in Tobia; de arbitrii libertate, ut in Ecclesiastico, deque aliis Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus alibi disputatur. Quid agitis, ô viri? nam qui in Sacrorum codicum verba sic juratis, ut grande nefas ducatis hillum credere, quod iis non contineatur, cujus codicis, aut oraculi autoritate, aut permisso integros illos libros, nominatimque Machabæorum historiam, è sacrorum librorum Canone abraditis? Cur, & quâ Scripturæ sententiâ iudice hanc historiam suppositivam creditis potius, quàm aliam ullam, vel historiam, vel paginam divinam? Si, quod vos docet regula Fidei vestræ ex Calvino hausta, Spiritus Sancti instinctu, Sacras à profanis literis discernendas putatis, quâ, quæso, & cujus divini dicti autoritate, id vestræ reconditæ sapientiæ probatis? Cur alii alias respuitis, cum omnes eodem spiritu gloriemini? Nam Anabaptistæ Jobi historiam, Castalio Canticum Canticorum; Lutherus Jacobi Epistolam, & Apocalypsim, ut spuriam rejicit; ut genuinos Spiritus Sancti fœtus, alii è vobis eodem spiritu afflati admiserunt.

Planè compertum est nihil illos responsi, quod ulli cordato, aut ratione utenti aridere queat, posse huc proferre. Quid enim? sunt qui Machabæorum libros ideo repudient, quòd Hæbraicâ linguâ non extet: at perperam; eodem enim argumento Matthæi Evangelium exterminant, quandoquidem nec sic extat. Sunt, qui eosdem asserant antilogiis, ac dissonis secum confingere: sed & id ineptè, sive quòd in speciem dumtaxat, non revera pugnantis sunt, sive quòd libros Regum, ac Paralippomènon eodem jure, vel potius injuriâ exploderent. Obtrudunt etiam eos ipsos non censi in Canone Judæorum. Sed quid mirum, cum Canon ille Ebdæ tempore à Synagoga editus sit, quando necdum editi Machabæi? Quid hac in parte Judaisare nos volunt, cum & ipsi aliàs prohibeant in admonitione Bibliis suis Anno 1551. præmissâ, ne in recensendis sacris codicibus Canonis Judæorum ratio habeatur.

7.
Nullo argumento.

Denique quid nostra interest, recipiantne, an rejiciant Judæi Machabæorum historiam, cum eam jam inde à mille, & trecentis annis Augustino teste de Civitate Dei, lib. 16. c. 36. receperit Ecclesia? Huic enim, & soli, & certo competere Scripturarum custodiam, datumque divinitus

8.
Contra perperam Ecclesiæ sensum.

nitus, ut veras à falsis, certas ab incertis, integras à mutilatis discernat, non est cur probetur, cum & illa *Columna sit, & fir-
mamentum veritatis*; Apostolo auctore, & Christus Spiritum Sanctum illi promiserit *ad docendum illam omnem veritatem*; & ipse Augustinus pronunciare non vereatur contra Epistolam fundamenti, cap. 5. se Evangelio non crediturum, nisi Ecclesiæ Catholicæ commoveretur autoritate.

9.
Cui cre-
dendum.

Nimirum absque Ecclesia, verumne, an fictum Evangelium foret, constare nequirit: non enim ex Evangelio ipso, in quo id minimè exprimitur (atque ut exprimeretur, tamen ulterius quæri posset, verène, an falsò exprimeretur) non etiam ex fama, seu communi hominum opinione, quia & hæc utpotè humana, mendax, & fallax esse cognoscitur: non denique ex privato cujusque spiritu, tum ob rationes proximè superiùs allatas, tum quod si mihi asseras Machabæorum libros, exempli causa, esse apocryphos, idque confirmes distari tibi ab interiori, ac Sancto Spiritu, neque verò eum te esse, qui mentiare in re præsertim tanti momenti: hæc demum unica basis Fidei tuæ, meæque futura sit, quod verax sis; tu, inquam, qui sanctis Patribus Fidem abrogas; tu, qui spiritum tuum, ac judicium privatum totæ Ecclesiæ præferendum censēs; tu, qui non rarò tuis dictis factisque vanitatem adhibes: quomodo ergo tibi credere possim Machabæorum libros è divinatorum numero esse removendos, præsertim, cum Scriptura teste omnis homo sit mendax? Ecclesiam itaque hac super quæstione consulo, nitor hæc columnam veritatis, in ea reperio definitum per Concilium Carthaginense tertium, cui interfuit ipse Theologorum Sol Augustinus, per Florentinum item, ac Tridentinum, Machabæorum historiam inter divinas censendam, & omnino credo, mecumque credit quisquis est Catholicus. Heterodoxus, qui Ecclesiam non audit, auctore Christo, est mihi *sicut ethnicus, & publicanus*.

10.
Purgato-
rium asse-
ritur aliis
Scriptura
locis.

Mitto itaque alia seu veteris, seu novi instrumenti loca: nihil dico de hac Davidis deprecatione, *Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripas me*; Psal. 37. quem furorem ad tartareum cruciatum, iram verò ad purgantem refert Augustinus, Beda, Haimo, Carthusianus. Prætereo carcerem illum, in quo denunciatur Christus Matthæi 5. solvendum usque ad novissimum quadrantem, quem carcerem lustralem esse volunt Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus. Taceo denique eodem Christo teste Mat-

thæi 12. noxas aliquas neque in hoc, neque in futuro sæculo remittendas: unde Augustinus, Gregorius, Bernardus rectè colligunt alias quasdam, minores scilicet, in altero illo sæculo condonandas esse. Unum miror, hæreticos nostros in earum sententiarum explicatione non plus deferre Patribus illis, atque adeo Ecclesiæ præfidibus illius temporis (quo Calvino teste illibata vigeat Ecclesia) quàm pauculis Apostatis, & Monachis fugitivis, aut Grammaticis, in quibus nihil insignius crimine aut perfidiâ.

ARTICULUS II.

Purgatorium adstruunt Sancti Patres.

QUOD si, ut res est, in locorum II. Scripturæ explanatione Sanctis Pa-
tribus plurimum deferendum est, quo-
niam ut Apostolis, ac Christo ætate vicini-
ores, ita & increatæ Sapientiæ morum
sanctitate propiores veritatem puriùs ac
certiùs haurire potuerunt, quis ambigat,
quin eorum de Fidei dogmatibus judicium
perpetuam jam inde ab Apostolis, non tem-
porum magis, quàm doctrinæ successione
confirmatum, summum apud quemlibet
sanæ mentis pondus obtinere debeat?

Atqui Purgatorium asserunt Patres Græ-
ci, Apostolorum coevi, ac discipuli. ^{12.}
Dionysius Areopagita Anno salutis cente-
simo, non uno loco, nominatim lib. de <sup>Græci Pa-
tres Purga-
torium as-
serunt.</sup>
Eccles. Hierarch. c. 7. p. 3. *Accedens, in-
quit, deinde venerandus Antistes precem
sacram super mortuum peragit. Precatur
oratio illam divinam clementiam, ut cuncta
dimittat per infirmitatem humanam ad-
missa peccata defuncto, eumque in loco ac
regione vivorum statuat.* Ita ipse. Her-
mas item idem docuit Anno centesimo
vigésimo. Inde Origenes Anno ducente-
simo trigésimo compluribus in tractatibus.
Exinde Eusebius Alexandrinus Anno du-
centesimo sexagesimo: tum Concilium
Nicænum tot ex Patribus constatum Anno
trecentesimo vigésimo, Athanasius quo-
que trecentesimo quadragesimo. Ad hæc
Basilius Magnus trecentesimo septuagesimo,
Ephremus eodem trecentesimo
septuagesimo, uti & Cyrillus Jerosolymitanus.
Succedunt Gregorii Nazianzenus
& Nyssenus Anno Christi trecentesimo
octuagesimo, eodemque Timotheus Ale-
xandrinus, & Epiphanius. Porrò Chryso-
stomus, & Palladius Anno quadringen-
tesimo idem docuere, quibus accessit
A 2 Synesius

Syneſius quadringenteſimo vigefimo. Atticus Patriarcha Conſtantinopolitanus Anno quadringenteſimo vigefimo quinto, Caſſianus Anno ejuſdem ſæculi trigefimo, Socrates quadrageſimo. Theodoretus Anno quadringenteſimo quinquageſimo, Diadocus quadringenteſimo octuageſimo, Juſtinus Imperator quingeteſimo vigefimo, Procopius Gazæus ejuſdem ſæculi trigefimo, Juſtinianus item Imperator quadrageſimo, Climacus quoque ejuſdem octuageſimo. Præterea Gregorius Preſbyter Anno ſexcenteſimo, Leontius ſexcenteſimo decimo, ejuſdem vigefimo Joannes Moſchus, trigefimo Sophronius Jerofolymitanus, quadrageſimo Maximus, ſeptingenteſimo dein, & vigefimo Germanus Conſtantinopolitanus, ſeptingenteſimo trigefimo Joannes Damascenus, octingenteſimo Nicephorus Confefſor, Theophilaetus nongenteſimo, Simeon Metaphraſtes nongenteſimo quinquageſimo, Oecumænius milleſimo quinquageſimo, Theodorus Baſamon milleſimo centefimo. Quid alios minus celebres Eccleſiæ Græcicæ numerem? Si dubites, exponit illa in Theſauro ſuo Coccinus, cujus & chronologiam in recensendo ſum ſecutus. Ex quibus liquidò patet, contra torrentem Græcorum Patrum navigandum ei eſſe, qui purgantes flammâ inficietur. At quâ, quæſo, vi, niſi iudicii pertinacis: cùm paucos illis opponere poſſit, eosque, vel vetere inuſto hæreſis notâ, ut Aërium religione Arianum, vel alios nonnullos recentiores eadem, aliâque infamiâ infignes, quibus credere, eſt Fidem proſtituere.

13. Jam inter Latinos pluribus locis idem confirmat Tertullianus Anno ducenteſimo: Sic enim de teſtimonio animæ ad verſus Gentes: *Cui gratiam debes, offibus, & cineribus eius refrigerium comprecari, & ut bene requieſcat apud inferos cupis; & lib. de Monogam. c. 10. pro anima eius orat, & refrigerium adpoſtulat ei, & in prima reſurrexione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis eius.* Cyprianus item Anno ducenteſimo quinquageſimo idem tradit. Zeno Veronenſis ducenteſimo ſexageſimo, Arnobius trecenteſimo, Lactantius trecenteſimo vigefimo, Ambroſius trecenteſimo ſeptuageſimo, Prudentius ejuſdem ſæculi octuageſimo, Rufinus nonageſimo. Concilium Carthaginēſe tertium Anno trecenteſimo nonageſimo quinto. Quartum trecenteſimo nonageſimo octavo; Auguſtinus quadringenteſimo. Item Baccharius, ac Paulinus Nolanus quadringenteſimo vigefimo; Six-

tus III. quadringenteſimo vigefimo, Philippus Preſbyter quadringenteſimo trigefimo. Concilium Valenſe primùm quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo; Eucherus Lugdunenſis quadringenteſimo quinquageſimo, Ceſarius Arelatenſis ejuſdem ſæculi ſeptuageſimo, Victor Uticenſis octuageſimo, Boëthius quingenteſimo. Concilium Valentinum Hiſpaniæ ejuſdem ſæculi trigefimo tertio; Primaſius quadrageſimo. Quid conſequentes annos, quid Gregorium Magnum, Iſidorum Hiſpalenſem, Eligium, Bedam, Alcuinum Haymonem, Petrum Damianum, Anſelmum, Ivonem Carnotenſem, Odonem Cameraenſem, Rupertum Tuitienſem, Bernardum, Richardum à S. Victore, Petrum Lombardum, aliòsque doctri-na ac pietate illuſtriſſimos viros hîc laudem? Stancarus, homo hæreticus lib. de Trinitate & Mediatore, Petrum Lombardum, Magiſtrum Sententiarum, quem poſtremo laudavi, his verbis prædicat: *Plus valet unus Petrus Lombardus, quàm centum Lutheri, ducenti Melancthonæ, trecenti Bulingeri, quadringenti Petri Mariyres, quingenti Calvinii, qui omnes ſi mortario contunderentur, non exprimeretur uncia veræ Theologia.* Ita ille, & omnino verè. Porrò addo hîc majoris lucis gratia ex eruditiffimo Annalium Eccleſiaſticorum ſcriptore Baronio ad Annum Chriſti 34. hæc pauca: *Sic enim, inquit, habeto: omnium, qui poſt diſſa tempora vixere Orthodoxi ſcriptores (atque de Auguſtini, ac Cæſaris Arelatenſis teſtimoniis, ætatēque egerat) uſque in præſens nullum reperiri, qui Apoſtolicæ traditioni de Purgatorio, Maiorūque aſſertioni, ac denique tot ſæculis præſcriptæ Eccleſiaſticæ conſuetudini auſus ſit contradicere. Quin potiùs eandem Catholicam veritatem non tantùm ex Patribus ratam, atque firmatam, ſed miraculorum editione divino calculo ſapienter comprobata, pronis manibus excipientes, ſunt piè, ſanctēque venerati.* Hactenus Baronius.

Atque ex his onanibus clariffimè conficio primùm ſplendidiffimè mentitum eſſe Calvinum, dum ait, de Purgatorio adeo nihil aſſeruiſſe Patres, ut illud pro re incertâ haberent, quæ ut obſervat Bellarminus de Purgator. lib. 1. cap. 6. intoleranda impudentia, vel imperitia eſt: deinde eodẽ conſinco, Chriſtum & Apoſtolos Purgatorium aſſeruiſſe: fatetur enim ipſe conceptis verbis extra controverſiam eſſe, *Nihil à principio uſque ad illam ætatẽ (Auguſtini ſcilicet, & coætaneorum) mutatum fuiſſe in doctrinã.* Inſtit. l. 4. c. 2. §. 2. & 3. & clariùs juxta editionem Gallicam,

Rem

14.

Hinc mendacii arguitur Calvinus & diſtorum repugnantia.

Rem esse apertam, & indubitatam nihil ab ætate Apostolorum usque ad Sanctorum illorum Doctorum tempus mutatam fuisse in doctrina, neque Romæ, neque in aliis urbibus. Cum igitur Augustinus tum aliis tractatibus, tum edito de curâ pro mortuis libro disertissimè purgantes pœnas statuat, consequitur Calvini sententiâ Christum ejusque Apostolos eadem statuisset.

15. *Et Purgatorii veritas stabilis.* Verum nihil interest nostra, quid de illis, vel Calvinus, vel alii ejusdem generis & farinae homines sentiant, cum & hi mendacis infames sint, & tot alios viros omnis ætatis virtute doctrinâque præstantissimos in idem consentientes habeamus. Ut enim falsitatis signum est, dissentio inter alicujus sectæ studiosos (quemadmodum patet in hæreticis in diversissimas de fide opiniones distractis) ita & concordia doctrinæ non vulgare veritatis argumentum est: quippe quod ut falsitas multiplex, ita veritas una sit.

16. *Nil refert quod Sancti, homines sint.* At enim, inquis, omnes illi, utpote homines, errori subiecti sunt. Scio, si per sese spectentur; minimè verò, si ut cum Christo & Apostolis doctrinæ communione conjuncti sunt, quemadmodum hic in proposito conjunctos esse manifestum est, tum ex allata serie jam inde à Clemente Romano ac Dionysio Areopagita, Apostolorum discipulis, tum ex Ecclesiæ traditione, quam convellere inferi portæ ac vires, teste ipso Christo, numquam valebunt. Deinde si tot illi Christiani orbis Doctores errori expositi, quanto magis pauculi, & indocti, ac propter vitæ pravitatem, perfidiâque, exosi Numini, & errorum ac mendacii fictori diabolo subiecti?

17. *Vanitas hæreticorum Scripturam Patribus opponentium.* At Scripturam à se stare contendunt: ô vanitatem! dum enim evidentem Scripturam illis opponimus, qua manifestò revincuntur, eam ipsam veram Scripturam esse pernegant; dum aliam minus apertam, contra Sanctorum Patrum expositionem pro arbitrato suo interpretantur. Quam, quæso, Scripturam claram, ac perspicuam promittis, ô viri, quæ, vel Machabæorum historiam Canonicam esse, vel Purgatorium omnino extare neget, aut vestram interpretationem confirmet? nullam promittis. Quâ autem promeretur antiquitati incognitam, & inauditam? Cur igitur sacram Scripturam, vestram esse clamitatis? Si verò eam, quæ pro vobis facit, fatemini dubiam, & obscuram: cur illam vobis arrogatis? Cur Fidem certam, ac divinam incertis, humanisque ejusdem interpretationibus vestris fulcitis? Maneat itaque purgantium locorum veritatem Sanctorum Patrum testimoniis jam inde ab Apostolo-

rum ætate longissima serie continuatis, atque ad eò Apostolorum doctrinâ per eos hautâ manifestò stabiliri.

ARTICULUS III.

Idem rationibus comprobatur.

18. *Vt leves noxæ hic impunitæ castigantur.* NON modo Scriptura per sese, & Sancti Patres ex ipsa Purgatorium apertè demonstrant: sed & multiplex ratio, ut cætera abessent, de illo dubitare non finit. Constat enim primùm nonnullas esse noxas naturâ suâ tam leves, ut amicitiam divinam minimè dissolvant; tum quia constat aliquos in Ecclesia esse, & fuisse justos, & Deo gratos, ut de SS. Josepho, & Zacharia Baptistæ patre, ejusque matre Elisabetha ex Evangelio compertum est, & tamen si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus; 1. Joan. 1. & in multis offendimus omnes; Jacobi 3. Tum quia insanum est arbitrari levissimam mentis inter precandum evagationem, aut otiosum verbulum odio divino, pœnâque æternâ dignum esse; uti insaniret homo qui ob levissimam amici noxam per imprudentiam admittam, immortalis eum odio prosequeretur. Atqui non dubium, quin ex probis quispiam cum levis ejusmodi noxæ macula emori possit, vel quia piget, vel quia non vacat eam eluere propter fati repentini necessitatem. Quid igitur fiet homine isto? nam & cælum illi clausum est, quippe adhuc inquinato; nec tartarus debetur, quippe Numinis amico: igitur ad lustralem custodiam ablegetur, necesse est, ut maculam illic eluat, & pœnam noxæ debitam solvat. Enimverò hanc pœnam dicere in ipsa morte sitam esse, merum deliramentum est, sive quia imparibus noxis pœna communis iniquè redderetur: sive quia plerumque nocentiores mitius mortis genus sortiuntur: sive quia, ut in infantibus patet, mors solius originalis culpæ pœna est. Quid clariùs hac ratiocinatione? Quid potentiùs? Quare ad alterum hujus Catholicæ de Purgatorio sententiæ firmamentum, priore non minus stabile, procedo.

19. *Vt graviorum pœnarum hic non remissa exigatur.* Etenim exploratum est, etiam apud heterodoxos, ea lege condonari posse culpam, ut illius pœna solvenda maneat. Quippe gratia divina, per quam reo venia fit, non cum obligatione pœnæ, sed cum peccato tantummodo pugnat, satisque habet illud expungere. Atqui, & fateri coguntur Deum eam sibi legem in remittenda culpa præfixisse, ut factâ reis veniâ, pœnam

pœnam nihilominus subinde exigit, idque cum ex compluribus aliis Scripturæ locis patet, tum ex eo Exod. 32. *Ego autem in die ultionis visitabo, & hoc peccatum eorum*: Nempe Israëlitarum; quibus tamen sive ob Moysis preces, sive ob eorum pœnitentiam ignoverat. Item ex 2. Regum c. 12. ubi Dei nomine Davidi, quem jam sceleris pœnitebat, id est, adulterii, cædisque commissæ, Propheta renunciat certè quidem utrumque ei esse condonatum; veruntamen, inquit, quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius qui natus est tibi, morte morietur. Audis & pœnam exprimi, & peccato licet remissio eam nihilominus reo infligendam? Quid plura? nec enim quidquam fingi potest, cur non idem divinus Judex etiamnum eodem pacto cum reis agat: præsertim cum veteres illi eadem gratiâ Christi Redemptoris, quâ nunc Christiani, scelerum veniam consequerentur. Igitur hodiè que remissâ noxâ non continuè remittitur pœna noxæ debita; igitur ab homine reo exsolvenda est: & cum sæpenumero vel non liceat, propter subitam necessitatem, aut criminum numerum ac gravitatem, totam in vivis exsolvere, vel non libeat propter difficultatem, clarissimè certissimèque conficitur eam in Purgatorio esse persolvendam.

20.
In quo non
sit Christo
injuria.

At oblatrant hîc hæretici, ea ratione fieri injuriam Christo, & Sanguinis ejus ac meritum minui pretium. Cum enim sit infinitum, & par omnino extinguendæ simul cum culpa obligationi omnis pœnæ, cur nos post culpæ remissionem, eam adhuc solvendam contendimus? Ita illi: At sanè insulsè. Primum, quia utcumque immensum sit pretium illud, tamen Deus Opt. Max. noxâ populo Israëlítico, aliisque condonatâ pœnam exegit. Deinde nihilo plus obstante hac immensitate pretii, nos etiam ipsi, imo & infantes originali culpâ omnino remissâ, & alia plurima, & mortem ipsam perpetimur. Nimirum par est quidem pretium expungendis omnibus nominibus nostris; verum, ut revera expungat, illud nobis applicari debet. Alioqui enim quid esset, cur etiam damnati inferno carcere soluti, eodem isto pretio beatitudinem non indispicerentur? Itaque applicandum est Sanguinis Christi ingens meritum ac satisfactio, Sacramentorum & bonorum operum beneficio; sive nos ipsi per gratiam Christi Sanguine nobis partam, pœnæ peccatis nostris debita satisfacere debemus. In quo ipso, non modo nihil detrahimus pretio illius Sanguinis, sed potius honorificè de illo sentimus:

quod videlicet non Christo dumtaxat, sed & nobis vim merendi, ac satisfaciendi contulisse credamus, ac profiteamur.

Satiùs hîc caverent, qui hæc nobis ob-
jectant, ne, dum Redemptoris satisfactio-
nem malè extollunt, æquissimi Numinis
partim justitiam vindicatricem convellerent,
partim providentiam. Enimverò
Justitiæ illius est, vel hac in vita, vel in
altera plectere quascumque noxas, sive ut
injuria Deo per has illata compensetur,
sive ut rectus ordo, qui per eandem per-
turbatus est, dum homo Numinis imperio
se subtraxit, instauretur. Deinde Provi-
dentia divina permagni interest, pœnas
esse aliquas, quibus & lethifera culpæ
quantumvis condonata aliquando casti-
gentur, & pariter leviores illæ, quas dici-
mus veniales. Alioqui enim quàm pro-
nus esset in eas lapsus! Quanta earum
frequentia! quantus Numinis contemptus!
Siquidem satis constat homines longè
fortiùs minis ac suppliciis à committendo
peccato deterri, quàm beneficiis ac
promissis pellici ad colendam virtutem.
Quare rectè Philosophus pronunciavit So-
lem de mundo eum tollere, qui justitiam
neget vindicatricem, & Regius Pfaltes
Psal. 110. *Initium, inquit, sapientia timor
Domini*: quasi dicat, caput ac summam
sapientia esse, subjectam oculis semper
habere Justitiam Dei vindicem. Quam-
obrem qui Purgatorium negant, non modò
Justitiam divinam convellunt, sed etiam
providentiam, quæ quemadmodum alterâ
velut manu utitur misericordiâ ad con-
ducendos regendosque mortales, sic &
alterâ, quamvis sinistra, attramen forti,
justitiâ vindicatrice. Est igitur sanè, cur
ille vindictam timeat, qui justitiam negare
non formidat.

Atque ex his aliisque superiùs demon-
stratis, purgantis carceris veritas clarè elu-
cescit. Quamobrem rectè ab Ecclesiâ in
Conciliis Florentino, Tridentinòque de-
cisum, eam sub Fidem cadere. Æquè igitur
credenda est, atque esse Deum, esse
Unum in essentia, in personis Trinum,
quando una, & eadem divina auctoritas
utrumque persuadet. Hinc porro conse-
quitur eadem de veritate nos esse cer-
tiores, quàm si supplicia ipsa purgantia
medio in foro exerceri hisce oculis videremus:
propterea quod Fides divina qualibet
evidentissimâ cognitione naturali certior
est. Atqui si levissimum lustralis ergastuli
cruciatum coram spectaremus, quanta
animorum nostrorum commotio! quanta
commiseratio piorum manium! quanta
solicitude ejusmodi pœnas à nobis, & ab
aliis

21.
Quia negato
Purgatorio tollitur
justitia, & providentia
Dei.

22.
Epilogus
ad Catholicos.

aliis avertendi ipso primo conspectus momento erumperet! Exfuscitanda igitur illa Fides, ut si fieri possit, non impares curas in nobis creet, maxime cum tormenta longè graviora sint, quàm quæcumque oculis usurpari queunt, uno & mente in hac mortali vitâ percipi. Ergo rectissime innocens ille Jobus c. 9. *Verebar, inquit, omnia opera mea, sciens, quod non parceres*

delinquenti; & nos quoque multarum jam rei noxarum eodem animos metu adversus nova crimina confirmemus: & si Christianum pectus gerimus, purgandarum animarum vel nunc misereamur. Etenim nosse amici gravem miseriam, plusquam fatis est ad misericordiam: quantum igitur erit fide divina eam compertam habere!

CAPUT SECUNDUM.

De loco Purgatorii.

PROOEMIUM.

23.
Multiplex
Purgatorii
locus pro-
ponitur.



PURGATORIO asserto, indagamus nunc illius locum, ut & dictis Fides eò certius habeatur, quò magis compertus erit etiam Purgatorii locus, & ex sitis infamiâ, mol estiaque, carceris hujus acerbitas pronius deinceps expendatur. Est autem Doctori Angelico, aliisque communiter Theologis Purgatorii locus duplex: Alter ordinarius, alter extraordinarius. His addit Bellarminus, aliique terriam aliquam sedem, in qua animæ quædam corpore solutæ, coelique adhuc exortes, immunes ab omni sensûs pœnâ degant. Nonnulli Purgatorium Sancti Patricii adstruunt, in quo etiam vivi torqueantur. Hæc igitur hujus Capituli materia, atque hic ordo mihi ad scribendum propositus est, & cuique loco suus articulus destinatus. Comitare nos, mi Lector, scire expedit voraginis ærumnosæ locum, ut eam vites facilius.

ARTICULUS I.

De ordinario Purgatorii loco.

§. I.

Est aliquis subtus terram.

24.
Statuitur
aliquis cer-
tus ordina-
rius.

EST quidem in Judicis, ac supremi potissimum Principis arbitrato, locum definire, ubi rei plectantur. Et confert identidem ad cæterorum exemplum, ac terrorem, si supplicii locus idem sit, qui criminis, quo maxime pacto locus ipse pars est supplicii. Veruntamen, ut solemnis ac status est apud mortales tum carcer, tum crux ac campus feralis, propter varias

utilitates; sic providentiæ Numinis cuncta cum pondere, numero ac mensurâ facientis congruebat, ut castigandis post hanc vitam reis certum locum designaret, scilicet capiendis supplicii instrumentis, & cruciatui exercendo idoneum. Hunc porro designasse videtur ipsa veritas Matthæi 5. ubi sic monet: *Esto consentiens adversario tuo, dum es in via cum eo; ne forte tradat te adversarius Iudici, & Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Ecquis enim ille carcer? Certè quidem, Purgatorium omnes intelligunt, & meritò. Ut enim D. Bernardinus Tom. 2. Ser. 62. *Hoc quidem de carcere huius mundi non potest intelligi, eò quod nec ibi ponuntur omnes tales: nec de carcere infernali, quia ibi numquam solvitur novissimus quadrans debita pœnæ; sed de carcere Purgatorii intelligi habet, quia ab illo exibat quis, quando solverit novissimum quadrantem.* Sic ipse. Est igitur certus ac definitus carcer, in quo post hanc vitam attinentur, qui purgandi sunt: nec enim necesse est, aut semper expedit, aut etiam fas est, ut quod sentit Hugo Victorinus apud Sanctum Thomam in 4. dist. 24. q. 1. art. 1. illic de more plectatur à Deo reus, ubi peccavit, partim quòd diversissimis locis peccavit, in quæ reas animas differri, aut discurrere haud est probabile, partim quòd dum uno in loco unius criminis pœnas darent, non darent alterius, unde longissima existeret mora Purgatorii: partim denique quòd si qua ratio id evinceret pro piis manibus, pari jure pro damnatis evinceret: quod vel opinari nefas est: quando igitur id contingit, præter morem legemque Dei ordinariam, ut brevi asseremus, contingere dicendum est.

Porro